Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2885
Quelle:
Copyright:

probitatis indicta cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis. E nomine Autoris corrupto extundo *Arseninum Patavinum* Grammaticum, qui circa an. 1216. *Quadrigam* edidit constantem Regulis grammaticis, Sententiis, Proverbiis et Epistolis visam in antiquis membranis *Bern. Scardeonio*, ut ipse testatur *de Antiquit. Urbis Patav.* &c. p. 229. Itaque hujus *Quadrigae* medium Codex noster exhibet, in cujus Theca anteriore varia notata leguntur, e quibus conjicias, eum alicubi circa Coloniam conscriptum fuisse. Inter alia Dicta istud occurrit:

Benedicite
De la Jeunesse de nostre frere de Barry.
De la saigesse de duc de Calabre.
De haultre cudance (cuidance, cogitatio) *de Bourbon.*
De lorgeul de celluj de Brytaigne.
De puissance de conte de Charloys.
Et de lorribilite de Conte darmyniack.
Libera nos domine.

Quod deinceps et germanice redditur.

DCCXCVIII.

75 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 249. f. nigro rubroque paene alternis scriptus hunc praefert titulum: *Instrumentum Liturgicum cum suo apparatu, continens videlicet omnia christianae pietatis officia per totum annum solennia, secundum catholicae veritatis stylum e sacris potissimum literis confectum* &c. Invenias itaque hic Schemata Horarum Canonicarum, Sacrificiorum Missae, aliorumque sacrorum Rituum formulas, sed quae ferme semper a recepto Ecclesiae usu abludant, ita ut ignotus hic autor limam illi, si Superis placet, adhibere voluisse videatur. In novos ubique *Hymnos*, novas *Praefationes*, *Orationes*que incurras. Delibabimus quaedam. Oratio *ad primam Missam in Nocte Nativitatis Domini* ita corrumpitur: *Deus, qui hanc pacatissimam noctem ueri luminis ortu fecisti clarescere, fac etiam quaesumus illuminari nos interius, illustrari exterius, carere tenebrarum offensionibus, et lucere charitatis omniumque uirtutum aliarum operibus. Per ipsum Dominum* &c. Eleganti hymno in Festo *D. Jobannis Bapt. Antra deserti* &c. substituitur sequens:

Mira